

mento text. in leg. *Privatorum consensus Cod. de Jurisdic. omn. judic. cum simil.* Et quod illa sit clausula Guarentigia, tenet & declarat ultra omnes melius quam ibi Jas. in leg. *Error. Cod. de Juris & fact. ignor. 8. column. num. 12. idem Jas. in leg. 1. §. Si quis ita, ff. de Verbor. obligat. 9. column. num. 25. Doctor de Segura in Repet. leg. Si ex legat. causa, ff. de Verbor. obligat. fol. 6. column. 3.*

4 Hodie tamen de jure nostro regio instrumenta publica bene mandantur executioni: ita disponit lex 4. tit. 8. lib. 3. Ord. & ista nostra lex Tauri. Sed pulchrum dubium est, an requiratur quod in tali instrumento publico hodie ponatur prædicta clausula Guarentigia & condemnatoria? Et videtur dicendum quod sic; quia aliàs non est fundamentum ex quo oriatur virtus exequutiva & jus exequendi: & in terminis ita determinat Bald. in leg. *Etiā, Cod. de Execut. rei judic. 1. column. num. 4. idem Bald. in leg. penultim. Cod. de Fidejuss. 1. column. num. 3. Doctor de Segura in Repet. leg. Si ex legat. causa, ff. de Verbor. obligat. 7. fol. 2. column. Jas. post Bart. & alios in leg. 1. §. Si quis ita, eod. titul. Roderic. Suar. latius & melius quam alibi in dict. leg. Post rem judicatam, ff. de Regul. juris fol. 120. 2. column. versic. Sed pulchrum & mihi novum dubium est, &c. adeo quod non sufficit si postea ponatur ex intervallo, secundum eos. Sed, salva ejus pace, ego teneo contrarium, imò, quod instrumentum publicum hodie possit mandari executioni in nostro regno etiam si non contineat prædictam clausulam: & hoc per dict. leg. 4. titul. 8. lib. 3. Ordinar. & per nostram leg. Tauri. & ita practicatur. (g)*

5 Et in tantum est verum quod prædictum instrumentum publicum mandatur executioni; ut habeat locum & procedat nedom contra debitorem principalem, sed etiam contra ejus hæredes: argumento text. in leg. 1. & per tot. Cod. de Hæredit. action. text. in leg. *Unic. Cod. ut actio ab hered. & contra hered. incip. text. in Authent. de Jurejur. a mor. præscript. versic. 1. collat. 5. ubi probatur, quod hæres & defunctus una persona censentur: text. in leg. Cum hæredes, ff. de Acquirend. possess. ubi per aditionem hæreditatis hæres representat personam defuncti, & in eum transeunt omnia jura personalia, realia, & mix-*

ta: text. in leg. 2. §. Ex his, ff. de Verbor. obligat. ubi dicit text. quod ex persona hæredis nunquam conditio, virtus, & natura obligationis mutatur: bonus text. in leg. *Postulante, ff. ad Trebell.* ubi probatur, quod ad id, ad quod tenetur & potest compelli debitor principalis defunctus, tenetur & potest compelli ejus hæres. Ex quo in propriis terminis inferunt ibi Bartol. Paul. Imol. Alexand. & communiter DD. quod si ex forma legis vel statuti debitor potest incarcerari pro debito, poterit etiam incarcerari ejus hæres. Quod tamen intellige & declara, quando prius liquidatur & declaratur quod est hæres, & adivit hæreditatem: ita probat in specie text. in dict. leg. *Cum hæredes, ff. de Acquirenda possess. ibi additione secuta, in terminis nostris tenet Baldus, in leg. Per diversas, Cod. mandat. 4. col. 10. quæst. idem Bald. in leg. 3. Cod. de Pignor. fin. column. Paul. de Castr. in dict. leg. Postulante, ff. ad Trebellian. Angel. in leg. 4. §. Si ex conventionem, ff. de Re judic. idem Angel. in leg. Oration. ff. de Feriis, Alexand. in leg. à Divo Pio, §. In venditione, ff. de Regul. jur. pen. col. num. 34. Roderic. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam fol. 123. versic. Extensio 1. Quod iterum subintellige & declara, præterquam si postea in processu executivo liquidetur & constet quod est hæres; quia sufficit, & non annullatur processus: ita singulariter Socin. in Cons. 103. volum. 3. Item etiam intellige & declara, ut etiam si liquidetur & probetur quod est hæres & adivit hæreditatem, non potest contra eum fieri executio intra tempus datum à lege ad conficiendum inventarium: ita probat textus notabilis in leg. fin. §. Donec. Cod. de Jure deleg. ubi dicit textus quod infra illud tempus non potest hæres conveniri nec inquietari: & ad hoc in nostro proposito notat & commendat ibi solus Bartol. & tenet & exaltat Roderic. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam, fol. 123. extension. 1. vers. Adverte tamen singulariter.*

Item etiam adde, quod istud jus exequendi competit hæredibus & successoribus creditoris: ita etiam probant jura superiora, & tenet Paul. Alexand. & Modern. in dict. leg. *Postulante, ad Trebell.*

Item etiam adde, quod prædictum instrumentum publicum potest mandari executioni pro debito-

(g) Quæ opinio legibus hujus regni requirentibus instrumentum publicum, magis convenit; cum ad hoc ut publica dicantur, sufficiat coram tabellone publico esse confecta: quod asserit Palac. Rub. in leg. 63. supra num. 1. ubi Castill. verb. *Obligacion personal. num. 11.* & in hanc partem magis inclinat Perez in leg. 4. titul. 8. lib. 3. Ordinar. gloss. 1. column. 5. in princ. quamvis contradicat Covarr. lib. 3. Variar. cap. 11. num. 3. Menes. in leg. 1. num. 21. Cod. de Juris & facti ignorantia.

bito & promissione facta & præsumpta, ut quando maritus confitetur in instrumento publico dotem recepisse; quo casu præsumitur & fingitur à jure promissio: nam pro ea potest mandari executioni: argumento text. in leg. *Unic. Cod. de Rei uxor, action. text. in leg. Jurisgentium, §. Quod ferè, ff. de Pactis, ubi habetur, quod illud quod inducitur & præsumitur ex instrumento censetur esse de tenore ejus: text. in leg. Si duo patroni, §. Marcellus, ff. de Jurejur. text. in leg. Pluribus, ff. de Verbor. obligat. ubi, si plures res deducuntur in contractu vel stipulatione, & unica tantum responsione alter promittat, tot censentur esse stipulationes & promissiones quot res fuerunt dinumerata: text. in leg. *Asse toto, ff. de Hæred. instit. text. in leg. Si ita scripsero, ff. de Condit. & demonstr. & in expresso ita tenet Bartol. in leg. 1. ff. de His qua in testamento delend. Bald. ubi valde commendat in leg. *Unic. §. Et ut plenus, in fin. Cod. de Rei uxor. action. idem Bald. in leg. Ubi adhuc. Cod. de Jure dorum, idem Bald. in leg. Ad probationem, la 1. Cod. de Probat. ubi dicit, quod est primum consilium quod dedit in jure: idem Bald. in leg. 1. Cod. de Condit. ob caus. in fin. & ibi Salycet. Jas. in leg. *Certi conditio, num. 2. ff. Si cert. petat. idem Jas. melius quam alibi in §. Fuerat. Instit. de Action. 10. column. num. 85. Roder. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam, ff. de Re judic. fol. 124. vers. 2. Extende. Ex quo subtiliter potest dubitari: si quis conduxit domum vel rem pro certo tempore & pretio, & se obligavit instrumento publico Guarentigio; & postea, finito tempore, stetit in conductione, & visus est rem tacite reconducere; an possit illud instrumentum mandari executioni pro secundo contractu? Et dicendum est quod non; quia non fuit prorogatum & tacite renovatum instrumentum: ita tenet notabiliter Bald. in leg. *Legem. Cod. locat. quem sequuntur communiter DD. (h)*****

7 Item etiam adde & extende, quod prædictum instrumentum publicum potest mandari executioni nedom pro debito puro & de præsentibus, sed etiam pro debito in diem, vel sub conditione, die vel conditione verificata & purificata: ita probat text. in leg. fin. §. Titius, vers. Sed si fuerit conditio dua pura sunt, de Vulgar. & pupillar. ubi probatur, quod dispositio conditionalis post purificatam conditionem dicitur pura, & habet omnes effectus, ac si purè & simpliciter esset celebrata: & ibi notat & commen-

dat Glossa ordinaria, & communiter DD. Baldus in leg. *Cum testamento, Cod. de Testam. manum. idem Bald. in leg. 2. Cod. de Execut. rei judic. Franc. de Aret. in leg. fin. §. fin. ff. de Verbor. obligat. Jas. in leg. In illa stipulatione, ff. de Verbor. obligat. 4. column. num. 6. & ibi Franc. de Ripa 3. column. Angel. de Aret. in §. Curare, Instit. de Action. antepen. column. Roder. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam, ff. de Regul. jur. fol. 134. versic. *Quindò limita.**

Item adde, quod si prædictum instrumentum publicum fiat in loco ubi mandari potest executioni ex dispositione legis vel statuti, ut in nostro regno; & in alio loco vel regno ubi non potest mandari executioni, quia non viget talis lex vel statutum, petatur executio; non mandabitur executioni. Item è contra, si fiat instrumentum in loco vel regno ubi non potest mandari executioni, & petatur executio in nostro regno, ubi per nostras leges regias potest mandari executioni; mandabitur executioni, tali fundamento & ratione: quia in his quæ spectant & pertinent ad ordinem judicii, semper inspicimus locum judicii, & non contractus vel instrumenti confecti; sed in his quæ spectant & pertinent ad substantiam contractus vel obligationis, semper attendimus ad locum contractus celebrati: ita probat text. in leg. 2. Cod. quemadmodum testam. aper. per quem istam regulam & doctrinam ponit & notat ibi Bald. & communiter alii DD. tenet etiam Bartol. Paul. Alexand. & Jas. in leg. à Divo Pio, §. Sententiam Romæ, ff. de Re judic. Bald. in leg. 1. Cod. de Execut. rei jud. idem Bald. in leg. 1. Cod. ne Filius pro patre, 4. quæst. Palac. Rub. plenè & notabiliter; quem vide in sua repet. cap. Per vestras de Donat. inter vir. & uxor. fol. 2. column. 2. versic. Ex quo inferitur, Roderic. Suar. in dict. leg. Post rem judicatam, fol. 154. vers. Circa judicem.

TEXT. LXV.

LA interrupcion en la possession interrupta causa la prescripcion en la propiedad; y por el contrario, la interrupcion en la propiedad interrupta la prescripcion en la possession.

Id est:

Interruptio in possessione interruptit præscriptionem in

(h) Idem tenet Perez in leg. 4. titul. 8. lib. 3. Ordinar. cum aliis quos refert pag. 630. in fin. & Montalv. in leg. 20. lib. 8. part. 5. & in leg. 8. titul. 17. lib. 3. Fori, Anton. de Canar. in Tractat. Executionum, num. 82.

in proprietate: & e converso, interruptio in proprietate interruptu prescriptionem in possessione.

COMMENTARII

In Legem LXV.

SUMMARIUM.

- 1 Quid sit usucapio?
- 2 Intellectus ad istam legem in 1. conclus.
- 3 Alius intellectus istius legis in eadem 1. conclusione?
- 4 Intellectus istius legis in 2. conclus.

Nota ex ista lege duas principales conclusiones. Prima: quod interruptio possessionis causat & operatur interruptionem proprietatis. Secunda e converso: quod interruptio proprietatis causat & operatur interruptionem possessionis. Quae lex certe quoad me est valde difficilis & subtilis, & libenter audirem eius intellectum a dignissimis & peritissimis Regii senatus conditionibus hujus legis: Sed dicam in eo quod sentio & cogitavi. Pro cuius perfecta declaratione dico, quod aliud est possessio, aliud est dominium vel proprietatis, aliud est usucapio vel praescriptio, aliud est interruptio, aliud est perpetuatio. Possessio est *jus insistentia rei non prohibita possidere*: ita Bart. in leg. 1. ff. de Acquir. posses. 2. col. in fin. & ibi Alexand. Socin. Jas. Vincent. Rip. communiter Modern. Salyc. & alii DD. in leg. Licet, Cod. de Acquirend. possession. Anch. in cap. Pastoralis, Modern. in Rubr. eodem titul. & dixi late in propria materia possess. (i) Dominium ve-

(i) In leg. 45. supra, num. 17. dicit communiter Rip. in princip. rub. de Causa possess. notat late Covar. in Regul. possessor. part. 2. in initio, num. 3. Gregor. leg. 1. titul. 30. part. 3. aliter definiebat Alciat. in leg. Usus, de Verbor. signification. vide ut omnes definitionem reprehendat, & novam aliam assignet Bolognet. in leg. 1. num. 190. de Acquir. possession. vide ut aliam Theophil. in Principio instit. de Interdict. tueatur: Duar. libr. 1. Disputat. cap. 8. Brisson. cap. 4. de Verbor. signification. column. 447. & de communi divisione, quod alia sit civilis, & alia naturalis; & de definitione cujuslibet & effectu & natura Rip. dict. rub. num. 29. Cassan. in Consuetud. Burgund. rub. 8. §. 1. fol. 226. Covarrub. supra, num. 4. Diego Perez in leg. 1. titul. 13. lib. 3. Ordinam. Menoch. de Retinen. remedi. num. 22. Craveta consilio 5. num. 9. & licet in puncto juris, & forte verius plures tueantur unicum esse possessionem, ut per noviores, maxime Marian. Socin. Junio-rem in leg. 1. de Acquirenda possessione, ex num. 198. usque ad num. 349. Bolognet. ex num. 198. Romuleo ex num. 98. Cujac. lib. 9. Observat. cap. 32. omnes tamen affirmant recedendum non esse a communi doctrina, cum qua omnia rectius compatiuntur.

(k) Vide Pinel. in leg. 1. de Bonis maternis, ex princ. Corras. ex num. 9. in praeludiis ad §. Nihil commune, Duaren. lib. 1. Disput. cap. 17. Vacon. lib. 1. Declarat. declaratione 43.

(l) Vide rationes morales ex D. Thoma, & aliis, quare lex civilis induxerit usucapionem aut praescriptionem, per Marian. Socin. Junio-rem in leg. 1. num. 36. de Acquir. possession. & ad or- natum, vide Pinell. in Authentic. nisi tricennale, ex num. 39.

Et revocatio usucapionis vel praescriptionis capta: quae fit quando possessor convenitur durante illo tempo- re in praesentia, & lis contestatur; vel in absentia, & aliis casibus specialibus, per solam citationem, vel libelli oblationem; quia tunc interruptitur illa usucapio & praescriptio ut non noceat domi- no petitori ac si nunquam procederet: text. est in leg. pen. & fin. Cod. de Annal. except. text. in leg. Si post acceptum de Judic. text. in leg. 2. §. fin. ff. de Usucap. pro emptor. (m) Perpetuatio est prorogatio praescriptionis: quae fit quando pos- sessor qui usucapiebat vel praescribebat rem, convenitur a domino ejus, & sequitur litis con- testatio; quia tunc, & non aliis nec alio modo, actio prima intentata, cujuscumque vitae vel temporis esset, perpetuatur ut nunc duret per 40. annos: text. est in leg. fin. Cod. de Prae- script. 30. vel 40. annor. & ibi Glossa ordinaria & communiter DD. de quo late & magistrali- ter per Franc. Bald. in Tractat. praescript. 3. part. 6. part. princ. fol. 67. & in 4. part. 6. part. princ. fol. 73.

2 Quibus praesuppositis, dico quod sensus prima conclusionis est: quod interruptio praescrip- tionis facta tantum in possessione per dominum, causet interruptionem praescriptionis in proprie- tate: & istum intellectum ad istam legem tenet in praesenti Palac. Rub. & alii Glossatores; & probat ista leg. infra in 2. part. & conclusion. in quantum dicit, y por el contrario, &c. Sed, salva eorum pace, iste non est verus sensus & intellectus hujus legis: quia certum est de jure, quod si per momentum perditur & interrupti- tur possessio, non potest ulterius procedere praes- criptio, per regul. sine possessione, de Usucapion. cum similib. & ita cautè nostra leg. in 1. parte, non dicit interruptio praescriptionis in possessione; sed interruptio possessionis. Unde aliter & secun- do dico, quod verus sensus & intellectus hujus prima conclusionis est: quod si possessio quae est penes reum conventum, mediante qua praes- cribit rem, omittatur & interruptatur; statim in ipso interruptitur praescriptio proprietatis: Quod tamen intelligi, quando interruptio pos- sessionis est talis, per quam amittatur utraque

possessio, tam civilis quam naturalis, secus vero si amittatur sola naturalis; quia illa non est causa praescriptionis, idem non debet esse causa inter- ruptionis ejus: Et actus per quem interruptitur utraque possessio, & per consequens praescrip- tio est, quando res ita sic occupata per inun- dationem aquarum, vel potentiam alterius oc- cupantis, vel per alium modum, quod non sit possibilis vel verisimilis ejus recuperatio: ita pro- bat text. in leg. 3. §. Labeo, ff. de Acquirend. posses. text. in leg. Pomponius, eodem tit. text. in leg. Quod meo, §. fin. eodem titul. text. in leg. Cum unus, §. fin. de Bonis auctor. judic. posses. & probat leg. 1. titul. 30. part. 3. vel per lon- gam absentiam possessoris ultra decem annos, per quam inducitur oblitio & amissio possessionis, ut in leg. Si de Eo, §. Si forte, ff. de Acquirend. posses. text. in leg. Clam possidere, §. Qui ad nudinas, eodem titul. text. in leg. Partum, §. Fundi, ff. de Usucapion. text. in leg. Licet, Cod. de Acquirend. possession. text. in §. Quod autem. Institut. de Usucapion. & utrobique communiter DD. & dixi magistralter & plenè in materia pos- sessionis, in articulo qualiter amittatur posses- sio. Et quod, interrupta possessione, interrupti- tur praescriptio, probat text. expressus in leg. Naturaliter, ff. de Usucap. & ibi Bartol. com- muniter DD. Et confirmantur praedicta: quia civilis possessio est illa quae causat praescriptio- nem; & jura quae habent quod in praescriptione requirunt possessio, debent intelligi necessario de civili: ita probat textus subtiliter inductus in leg. 1. §. Per servum, qui in fuga, de Acqui- renda possession. text. in leg. Si a bona fidei pos- sessore, de Rei vend. text. in leg. Acquir. §. fin. de Acquir. rer. dom. text. in leg. Qui fundum, ff. de Usuc. & in expresso ita tenet Glossa ordina- ria in leg. 3. §. Ex contrario, de Acquirend. pos- ses. in gloss. magna propè fin. & ibi Bart. Alb. Paul. Imol. & communiter Modern. Glossa in leg. 1. Cod. de Ser. fug. in gloss. magn. in fin. de quo latius dixi in materia possessionis.

Tertio ista lex in prima conclusione potest intelligi, quando actor & dominus movet litem contra possessorem super possessione, agendo ali-

(m) Interruptio dupliciter fit; naturaliter, & civiliter. Naturaliter interruptitur, cum cessat pos- sessio: quae qualiter amittatur ex actu voluntario docet leg. 3. §. In amittenda de Acquirenda posses. & ibi post alios Jas. eod. tit. declarat; & vide quae dixi supra leg. 45. num. 105. late plura de inter- ruptione civili & naturali ex Abb. & Felin. in cap. Illud de Praescri. & ex aliis cumulavit Bald. de Praescri. 3. part. 6. part. principalis ex num. 5. ultra quem vide modum mobilem amittendae pos- sessionis per mutationem formae rei possessione juxta adducta a Socin. in leg. 1. de Acquir. posses. ex num. 516. & vide alium modum ex mendatio; si interrogatus an possideat, neget se possidere: juxta leg. fin. ff. de Rei vendication. juncta copiosa declaratione per Anton. Gabriel. tom. 2. com- mun. opin. lib. 5. titul. de Acquirend. posses. conclus. 5. per totam.

aliquo interdicto possessorio adipiscenda, retinenda, vel recuperanda, & lis contestatur, in eo quod eo ipso, fit interrupta prescriptio in proprietate, ut teneatur possessor de novo prescribere, attentis verbis hujus legis. Sed certe iste intellectus non potest esse verus, nec potest procedere; quia lis vel iudicium super possessione nullo modo tangit proprietatem, quia sunt penitus diversa, & unum nihil habet commune cum alio, argumento text. cum materia in leg. Naturaliter, s. Nihil commune de Acquirenda possessione. (n)

4 Sensus vero secundae conclusionis est: quod, facta interruptione prescriptionis in proprietate, aliquo de praedictis modis supra declaratis, interruptur ipsa possessio quam habet reus conventus: quia consideravit nostra lex, quod diligentia actoris & domini in proprietate prodest ei in possessione, ut virtus ejus ad eam extendatur; maxime quia multoties unum ponitur pro alio, ut in leg. Interdum. de Verborum signifi. Sed certe iste intellectus non est verus nec procedit: quia si fertur sententia pro actore in proprietate, ipsam rem & possessionem recuperavit, & quousque mandetur executioni semper durat possessio: si vero fertur pro reo possessore, non interruptur possessio, imo potius confirmatur; quia interruptio facta in uno articulo vel causa non prodest in alio, ut in cap. Auditis de Prescript. Ideo dico, quod secundus verus & subtilis intellectus ad istam legem sit: quod, facta interruptione prescriptionis in proprietate, interruptatur prescriptio possessionis; quia per annum continuum a tempore quo habuit rem non prescribit possessionem cum effectibus ejus, quam alias prescriberet si lis non moveretur in proprietate, secundum leges hujus regni & earum dispositionem, ut in leg. 1. tit. 13. lib. 3. Ordinam. & in leg. 1. tit. 11. lib. 2. For. II. & leg. 192. in II. styli, & leg. 242. eisdem II.

TEXT. LXVI.

Ninguno sea obligado de se arrayger por demanda de dinero que le sea puesta, sin que preceda informacion de la deuda, a lo menos sumaria de testigos, o de escriptura autentica.

(n) Confirmatur hoc ex doct. Bartol. in leg. 2. Cod. de Fructibus, & litium expensis, num. 44 ubi dicit, quod litis contestatio operatur sicut sententia, ut in alia causa, vel inter alias personas non operetur, sic sententia super possessorio non operetur in proprietate leg. Et an eadem, s. Si quis interdicto, ff. de Exception. rei judicata facit etiam doctrina Bart. in leg. Julianus 9. s. Si quis rem vers. Proinde, ff. ad Exhibendum, quod litis contestatio super exhibitione non interruptit prescriptionem receptam.

Id est: Nemo teneatur * satisfacere pro debito pecuniario quod ab ipso petatur, nisi procedente debiti cognitione, saltem summaria per testes, aut aubenticam scripturam.

* Arraygarse significat sufficientem debiti aequivalentiam apud creditorem oppignorare in securitatem debiti, Gallice, nantir.

COMMENTARIUM

In Legem LXVI.

SUMMARIUM.

- 1 Quando quis tenetur satisfacere pro debito?
2 Si quis non satisfacit, an possit, incarcerari?
3 Quando causa supervenit de novo, quis tenetur satisfacere, secus si illa causa erat, quando factus est contractus.

Nota ex ista lege, quod nemo tenetur satisfacere pro debito pecuniario sine eo quod praecedat cognitio debiti, saltem summaria per testes vel scripturam

Pro cujus perfecta intelligentia & declaratione praesuppono: quod de jure antiquo reus conventus actione reali, vel ejus procurator tenebatur satisfacere judicatum solvere: conventus vero actione personali non tenebatur satisfacere; procurator vero ejus sic. Actor vero agens suo proprio nomini actione reali non tenebatur satisfacere; procurator vero ejus tenebatur satisfacere dominum ratum habere: agens vero actione personali suo proprio nomine non tenebatur satisfacere; procurator vero ejus sic: Ista omnia ponit & probat textus in s. 1. Institut. de Satisfatione. & ibi communiter DD. Hodie tamen de jure novo indistincte in qualibet causa & persona nemo tenetur satisfacere judicatum solvere; sed tantum de Judicia sisti. Si vero possidet immobilia, indistincte nullam satisfationem tenetur dare: textus est in leg. Sciendum, ff. Qui satisfacere cogant. text. in s. Sed hodie institut. de Satisfat. Quod tamen intellige & declara, ut possidens immobilia non teneatur

satisfacere, quando possidet ea cum titulo jure domini, vel quasi, mediante titulo & bona fide, vel saltem cum bona fide sine titulo; quia utroque casu videtur cessare praesumptio fugae: secus vero si possideat sine titulo, & cum mala fide: ita notabiliter tenet & declarat Bartol. & communiter DD. in dict. leg. Sciendum. Item intellige, & declara, quando possidet ista immobilia in loco jurisdictionis, non in alio; secundum praedictos DD. ibi: Item etiam adde pro extensione & declaratione praedictorum, quod ille qui habet annuos redditus certos in aliquo fundo certo & determinato ad hoc specialiter obligato, computantur inter immobilia, & censetur possessor rerum immobilium; aliam non: argumento textus in leg. Jubemus nulli, Cod. de Sacrosanct. Eccles. text. in leg. Hac edita, s. His illud, Cod. de Secund. nupt. text. in leg. fin. s. fin. ff. de Contrahend. empr. text. in Clementina exivi, de verbor. signifi. & in expresso ita tenet originaliter Guiller. in dict. leg. Sciendum, ff. Qui satisfacere cogant. & ibi Bartol. Alberic. & communiter DD. Ex quibus apparet & resultat verus intellectus & declaratio ad istam legem; ut intelligatur quando reus conventus actione personali non est solvendo, & sic tenetur de jure satisfacere: secus vero aliam, si est idoneus & solvendo, quia possidet immobilia; quia tunc non tenetur satisfacere: Et tantum hoc addit ista lex juri communi; ut in casu quo sit pauper & teneatur satisfacere, intelligatur, si praecedat summaria cognitio debiti, de qua in ista lege.

Item etiam adde, quod in casibus in quibus quis tenetur satisfacere, ut supradictum & declaratum est, si non potest fidejussores dare, debet incarcerari, ut in leg. 2. tit. de los Emplazamientos, lib. 3. For. II. & ibi late Roder. Suar. & tenet etiam in presenti Palac. Rubeus, & Paul. de Castro & communis opinio, in leg. 2. ff. Soluto matrimonio, penult. column. Item etiam adde & extende istam legem, ut procedat nedum super debito certo & liquido, sed etiam super incerto & non liquido: ita Palac. Rubeus hic num. 36. Item etiam adde, quod ista summaria informatio & cognitio debiti quae debet praecedere, consistit in hoc, quod duo testes etiam non citata parte, nec cum ordine juris deponant coram iudice de debito, & paupertate, & suspensione debitoris; argumento praedictorum juris: ita etiam Palac. Rubeus hic num. 41. & nota; quod non sufficeret juramentum creditoris: ita Bald. in leg. Cum apertissimi de judic.

Item etiam adde, quod praedicta procedunt & habent locum nedum in debito puro & de presenti, sed etiam in debito in diem, vel sub conditione: ita probat textus notabilis in leg. In om-

nibus, ff. de Judic. & ibi Glossa ordinaria, Bartol. & communiter DD. textus in leg. Si creditores, ff. de Privileg. credit. Quae omnia extende & declara, ut adhuc in praedictis casibus possit creditor petere a iudice, ut faciat sequestrationem bonorum in bonis debitoris, & interdictionem alienationis eorum: textus est singularis & unicus in jure in leg. de Pollicitationibus in fin. ff. de Pollicitat. & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. & communiter DD. & reputat mirabilem Alber. & summè commendat Jas. in s. 1. Institut. de Act. num. 180. facit etiam textus in leg. Si Fidejussor, s. Satisfatum, ff. Qui satisfacere cogant. Et si quaeras quod remedium istorum debeat praferri & praeficiari? Dicerem, quod remedium hujus legis & similitium, quas allegavi de jure communi; scilicet, ut petatur & sufficiat satisfactio; & si illa non praestetur, fiat sequestratio.

Nunc vero limita & intellige omnia praedicta, quando suspitio & causa, per quam praestatur ista satisfactio, supervenerit de novo post debitum contractum: secus vero si ista justa causa suberat tempore contractus, quia debitor tempore, quo contraxit erat pauper & suspectus; quia tunc non tenetur praedictam satisfactioem praestare nec sequestrationem pati: quia imputet sibi creditor, qui talem debitorem elegit: ita probat textus in leg. Si ab arbitrio, s. Qui ex causa, ff. Qui satisfacere cogant. text. in leg. Qui bona fide, s. Ab illo, ff. de Damno infecto, text. in leg. Si is a quo, ut in poss. legat, text. in leg. fin. Cod. de Spons. & tenet Bartol. in leg. fin. ff. de Feriis. Paul. de Castr. & alii DD. in dict. leg. In omnibus, ff. de Judic. Bald. in leg. Creditor, la 2. ff. Si certum petat. Palac. Rubeus, in sua Reper. fol. 62. Roder. Suar. in Reper. leg. Quoniam in prioribus, de inoffic. testam. fol. 177. col. 1. vers. Et quamquam; Ex quibus etiam inferitur secundum eos, quod non potest debitor capi tamquam suspectus, si illa suspitio inerat tempore contractus. Unum tamen est, quod praedicta videntur procedere quando debitor sui culpa incidit in inopiam, suspensionem, vel paupertatem: secus vero si casu fortuito sine culpa; quia tunc non tenetur satisfacere, nec potest capi: ita probat text. in leg. Si creditores, vers. Planè, ff. de Privileg. credit. per quem ita tenet Paul. de Castr. in dict. leg. In omnibus, ff. de Judic. Contrarium tamen in hoc tenet Bald. in leg. Ubi adhuc, Cod. de Jurdot. 4. col. & ista opinio mihi videtur verior, & probatur per jura, quae indistinctè loquuntur.

TEXT. LXVII.

Ningun juramento, aunque el Juez lo mande de hacer, o la parte lo pida, no se haga